ORATIO

PRO

SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

HABITA

IN REG. PROGYMNASIO NEAPOLITANO

VINCENTIO BRIGANTI

VI KALEND. FEBRUARII A. D. MDCCCXXXI.

ORATIO

PRO

SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

HABITA

IN REG. ARCHIGYMNASIO NEAPOLITANO

A

VINCENTIO BRIGANTI

MATERIAE MEDICAE DEMONSTRATIVAE ANTECESSORE

VI. KALEND. FEBRUARII A. D. MDCCCXXXI.

NEAPOLI,

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI CUOMO.

1833.

ARGUMENTUM.

Εὰν ᾖς φιλομαθὴς ἔσῃ πολυμαθής.
Si discendi eris studiosus, multa disces.
Isocrat. Orat. ad Demonicum.

Quam felix et faustus est nobis habendus hic praesens dies, amplissimi Domini, Auditores ornatissimi, lectissimi Juvenes, cum more ac ritu majoribus consueto, legibusque academicis praescripto de Sapientiae praestantia, animisque ad eam impellendis ex hoc supremo loco sermo sit instituendus. Nihil profecto homini aut utilius, aut majori laude dignius, quam ad gloriam virtutis praemium contendere: *quippe qui haud fortuna eget, quae probitatem, industriam, aliasque bonas artes neque dare, neque eripere cuiquam potest* (*). Merito igitur iis cl. Viris placitum fuit, ineunte scholastico anno, et reserata hac Minervae aula, studiosam Juventutem ab autumnalibus otiis eandem repetentem, ad novum literarium cur-

---

(*) C. Sallust. *Bellum Jugurthinum.*

riculum viriliter arripiendum, inaugurali oratione, splendido apparatu, ac magna doctissimorum congratulatione et frequentia, concitari. Quod jure factum esse omnes arbitrati sunt, ut adolescentes, quos spero, ne soli inter tot laetos civium applausus, turpiter in sua re sileant, a continua Sapientum persuasione permoti, atque eorum auctoritate et exemplo confirmati, spretis omnibus deliciarum illecebris, viam, quae ad eruditam institutionem acquirendam ducit, tanto ab iis cum honore emensam, summa alacritate ac fervore, prout rei dignitas postulat, ingrediantur; et ne pecudum ritu sequantur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur: cum multa profecto juventutem impediant, quominus recto gradu ad doctrinarum adyta contendat. Nam pro ingenita quadam in labore animi mollitie, ipsiusque otii delectatione, praesertim quo, pro omni copiarum genere diffluente, bene beateque vivitur, magis a spinoso horridoque scientiarum studio abhorremus.

Jam cum mihi ab humanissimis hujus augusti Gymnasii Moderatoribus hoc munus demandatum sit, quo honorificentius, eo meis humeris gravius; ideirco magnopere me sollicitum hic solemnis et auspicatus dies habuit, cum ante tot amplissimorum ora sim dicturus. Licet enim aliis anni temporibus ad hunc locum complures eruditi se conferunt, nunc vero, quo cujusque generis disciplinae exordiantur, plus solito eorum numerus huc convenit, quorum judi-

cium si reformido, haud timide omnino ac stulte me facere reor. Si olim subacto ingenio, variisque disciplinis versatissimi Viri cum eo pervenerint, unde illis oratio coram esset dicenda, adeo se perturbatos, et timore correptos persenserunt, ut eis vox omnino defecerit: mihi autem, cui nullius facundiae promptitudinis ac splendoris vel naturae, vel exercitationis adsunt praesidia, quidnam deinceps futurum? Nam in tot disertorum Patrum, Civiumque consessu, cum advocatum in hac tanta loci amplitudine quicquid est in civitate praestantissimum, verba facturus. Hisce animi fluctibus quis me vindicabit? Quos implorem? Quo me vertam? Nisi ad vestram cunctis notam perspectamque humanitatem; ut si meis viribus minime responderint conatus, aequum est veniae mihi vos gratiam haud negare. Operam igitur dabo indefessam, et vehementer confido, orationem meam, quam jam sentio nec virili pompa verborum gaudere, nec gravi incedere cothurno, ipsi rei vestraeque expectationi quodammodo satisfacere posse.

Cum autem saepissime, A A., mecum reputassem, unde dicendi initium sumendum esset, ut adolescentes cohortarer ad se studiis mancipandos, mihi nihil satius occurrit, et me tanta jucunditate inflammatum persensi, ut satis meis votis facere, et meo munere fungi valerem, quam si in disciplinis quemdam amorem in suis animis accenderem; qui in tanto opere non modo fervidus, sed supra quam oporteret esse, non sine laude desideratur. Hoc modo ipsa discendi

cupiditas pro se viam eis munit ad omnes scientias optimo jure adipiscendas, non communem industriam et vulgarem diligentiam, sed totos eorum mentis ac imaginationis conatus adhibendo : cum nulla res certe unquam appeti possit sine virtutum amore, sine cultu ingenii. Argumentum, meo judicio, tempori et praesenti officio non parum conveniens, si ex inito consilio feliciter processerit, praestat, ut liquido et audacter a meae orationis primordiis, ita vos, probi Juvenes, quibus inservire studui, alloquar:

..... *si tantus amor menti, tantaque cupido est* (*),

vos metipsi vestrae fortunae fabri eritis. De qua re felix sum augur, si ita vos agendo, vigilando strenui. Etenim ille fervens affectus, qui novo quodam robore pro disciplinis comparandis ad studium et laborem vos incitat, ipse quoque in posterum efficiet, ut commodis et veris voluptatibus fruamini. Non secus quam a ferocissimo Annibale suo victori exercitui dictum. A dissitis enim regionibus in italicarum Alpium cacumina tandem perducto, ut milites ab aerumnis belli fessos, cum jam desperatio in omnium vultu emineret, proxima opulentiae ac tranquillitatis spe sublevaret, Italiam eis ostendit, subjectosque alpinis montibus Circumpadanos campos, et hujusmodi brevi oratione tantae regionis thesauros in potestatem ha-

(*) Virg. *Æneid.* Lib. VI, vers. 133.

bituros promisit ; ita inquiens. *Eadem fortuna, quae necessitatem pugnandi imposuit, praemia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines, ne a Diis quidem immortalibus optare solent* (*).

Quod itaque jam supra proposui, nempe quid est sapere, et quomodo ad idem cito et per secura pergendum argumentis, rationibus, exemplis, quantum vero mihi a divina bonitate tribuetur, et per ingenii vires permissum, probare conabor: ut experiamur, quam plenum sit utilitatis illud a graecis Sapientibus proditum: Εαν ἦς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθὴς, scilicet: *Si discendi eris studiosus, multa disces.* Ex quo ipsae scientiae splendorem omnem ac dignitatem suam habent, et nos utilitates et commoda: qua in re hae duae sunt meae orationis partes.

Neminem latet fieri non posse, ut mens hominum nihil agat; cum hominis propria sit mentis agitatio atque solertia. Vaga est semper, et minime quietis impatiens; unde in nota ac incognita continuo suas dimittit cogitationes. Qui nisi honestis exercitationibus teneatur, ad turpia quaeque et impura studia se deferre necesse est. At porro, cum verum semper illud: *Primum docentem rectum esse Sapientiam,* cujus sublimes vias alte Pindarus cecinit, et Socrates inter mortales coelitus demissam credidit; quid magis ad animos nostros magnos elatosque fingendos exoptandum, quam sua divina vi frui, atque, uti

(*) Conf. T. Liv. *Opera.* Lib, XXI, cap. XIII.

praestantissimum Numen, cunctis ipsam invocantibus adesse? Nulla certe vi verborum, nulla ingenii facultate exprimi potest, quantum opus sit, quam laudabile. Idcirco Veteres, cum multa ab istis ad vitam mortalium prudenter gubernandam fuerint excogitata, Sapientiam *Divinitatis imaginem* pronuntiarunt; ac simul summa diligentia et laude varie propagare voluerunt. Ægyptii enim sub diversis figuris eam velarunt; Graeci sub fabulis, quas inde Romani ab iis non invite acceptas, uti disciplinae compendium, cum ipsis bonarum rerum scientiis nobis transmiserunt. Consilium minime contendendum, atque adeo optimum, puto; ut homines re tantopere a summis Viris collaudata atque expetita, summo gradu inflammarentur: quocirca, qui se studet praestare caeteris, insigni ope niti decet, ut ingenii potius, quam corporis gloriam quaerat; cum nihil praeter animum nobis magnum. Illud igitur homine dignissimum vitae tempus dicendum, quod et mentibus scientiis alendis, et animis plurimis optimisque rebus informandis est institutum; unde quam maxime a belluis distamus, tam proxime Deo Optimo accedimus. Haec est pars aetatis nostrae sacra ac dedicata, quae in perpetuam et stabilem Sapientiae possessionem, omnes humanos casus supergressam, omni malorum incursu subductam nos ducit ac immittit. Haec una ad virtutem, et ad eximia facinora homines incitat, ne segnes vitam hanc obscure transigant, et seri videant praeclari nepotes ingenii sui monumenta.

Cum res ita sit, quis, A A., tam utile et preclarum Sapientiae assequetur? Quis in augustissimos ejus recessus penetrabit? Quomodo, si ea non teneatur, suis voluptatibus quisque oblectari poterit? Ingens profecto est labor, qui non omnium ingenia semper eodem successu occupavit. Verum non dubitandum, quin Sapientia instar fertilis agri sit reputanda; nam, quamvis in se ipso uberrimus, non vero inerti, aut ignavo agricolae suas opes effundit, sed solerti tantum ac laborioso, qui operi strenue ac diligenter manum admovet; et quo majori ardore industriaque ille excolitur, eo magis cum foenore reddit, quod recepit. Si igitur in agro colendo hoc accidit, id verius in comparanda Sapientia. Nisi pertinax ille et indomitus in scientiarum disciplinis amor habeatur, in concubia ignorationis nocte versari oportet. Quid enim ab iis sperandum, qui aegre, languide aut remisse studiis se gerunt, et operosa sedulitate in sola gloria formae, et rebus fluxis industriae praesidia, et instrumenta virtutis consumunt? *Non habent isti otium,* ait ille scriptor, *sed iners negotium. Eorundem non otiosa vita dicenda est, sed desidiosa occupatio* (*). Idcirco nullus est iis in literis aut bona arte locus. Inanis est omnis eorum spes fruendi, quod tantopere expetunt; quoniam inertes ac desides semper vana vota concipiunt: poenam quam merito pro eorum socordia luunt. Sapienter antiquitas, *Virtutem posue-*

(*) Senec. *De brevitate vitae.* Cap. XII.

re Dii sudore parandam, memoriae scriptum reliquit : et qui posteris fabulas tradidere, ut per illas nos a vitiis retraherent, et ad virtutes adhortarentur, Philosophiam et Uraniam, jucunditatem scilicet ac ardorem, hujus caelestis operis adjutrices instituerunt. Quum aliud nihil nos palam in istis tropis edocere placuerint, nisi quam arduum ac laboriosum mortalibus foret illam adipisci.

Re sane vera, cum omnium disciplinarum optimarumque artium perfectam intelligentiam assequi velimus, et gloriae maximo splendore magnisque dignitatibus potiri arbitremur, non mediocrem alacritatem, sed efficacem ac inextinguibilem fervorem, et magnam exercitationem in literis adhibere fatendum est : ita ut unquam satis laboris positum esse videatur, quo Sapientiae apicem attingere possimus, nisi vulgaris industriae limites transiliamus. At quidem, A A., quamvis ardua est virtus, nihil vero tam difficile sit, quin non invita Minerva facillimum fiat. In ipsa igitur Sapientiae adeptione, longe aliter se res habet in animis non blanditiis aut ignavia solutis, sed laudis aemulationis, gloriaeque virtutis cupidis. Sapientia enim, etsi in tam praerupti montis jugo sedet, iter vero, quod ad eam ducit, iis vehementi studio incensis, non arduum, non impervium est. Ipsius Sapientiae dulcedo haud absimilis amoris natura, adeo mortalium animos pervadit, et tam in dies majus semper accipit incrementum, ut qui eam semel gustavit, vel difficilia et periculosa et ardua, omnia levia et

plana esse videantur. Nec id in dubium revocandum est. Curiosum ad hoc. nobis Deus dedit ingenium, ne omnia sua opera sine teste essent, ne nos aegre Sapientiae cursum aggrediamur. Quae sane erunt probata, si se unusquisque recte consuluerit, quanta sui sit cupiditas ignota noscendi, ut si haec hominis tam propria affectio, et scientiae rectique mater, veluti fida dux, habeatur, omnia facillima, omnia ad exitus felicissimos perventura. Quod divinitus factum reor, ut nostri ad optima vel exigui conatus, ipsa impellente natura, vehementiores fiant; et sic germina discendi penitus in nostris mentibus insita non languescant, sed foecundentur. Urgere igitur, instare necesse est, ne ista tanta vis a pravis cupidinibus cessantis vitae sit disjecta, aut inter faetidissimas voluptatum sordes restincta; cum facile naturae dotibus abutatur juventus. Magnum profecto in ejus animo certamen est; nam uti Statius: *hinc virtus ei sedet, illinc virtutis inimica voluptas*; cujus si domina et moderatrix illa non erit, *heu misera*, cum Seneca exclamem (*), *veluti in mari Syrtico deprehensa modo in sicco relinquitur, modo torrenti unda fluctuatur.* Opus est itaque, ut pueri cum primum adolescant, aetas non affectibus commota, nec vitiis inquinata, adeoque valde ad discendum idonea; ingenio enim plena, tenaci memoria, indole excelsa, sapere cupida, non molli torpeant inertia, aut operosam sedulita-

(*) *De vita beata*. Cap. XIV.

tem supervacuis laboribus impendant, sed impigre utiliterque totos excolendae menti, non jam corporis ornatibus, se tradant. Virtutis, auditores, aspera prima via est, et grave tenerae cervici jugum: propterea liberos non in sinu fovere, aut in tacita domi quiete; et ne unquam tristentur, eorum semper indulgere genio, parentes debent. Haec effocta felicitas animos permadescit, et inertes ac ignavos detinet, illos veluti in mari lento tranquillitas: sed ut verum in scientiis colligant robur, excutere eos oportet ad obeunda studia mature, et feriatis quoque diebus sedulo literis incumbere; ita ad firmam doctrinae maturitatem perveniunt. Pro ipsis non aliter quam plantis est. Fragiles semper sunt et arbusculae illae stirpes, quae in aprica valle crescunt: arbores vero fortes ac solidae quo venti saepius incursant; ipsa enim agitatione magis constringuntur, et radices altius figunt ac longius extendunt. Labor igitur et industria, unde laus et utilitas, in eis imperare debent; non otium, non libido, a quibus eorum dedecus et pernicies proficiscuntur. Sic in studiis ingenuisque artibus ardorem et patientiam adipiscuntur: sic in arduis ac difficillibus rebus sensim assuescit natura: sic demum ingemi aciem aliasque dotes, pro aetate proque re nata consequi cognoscimus. Juventutis haec est arena. Haec sunt tirocinia paullatim educentium animorum, a quibus certe nunquam se detorquent, et ad perversos affectus perrumpunt; imo vel in malum

proni, revocantur ad rectum. Tantum valet in humanis animis, vel repugnantibus praeclara virtus: nam

..... *Pectora nostra duas non admittentia curas.*

Hoc pacto, magno erudiendi fervore elati, non modo acriter vulgarium hominum studia, obscuramque vitam aspernantur, et veram Sapientiam ac philosophicam felicitatem obtinent; sed vero ipsae doctrinae disciplinaeque omnes si insigni constantia, atque indefaticabili labore acquirantur, pro virtutis aviditate, omnia leviora ac suaviora redduntur. Maximi enim conatus a jucunditate, quae in studio capitur, compensantur; et quo cura impeditior, eo voluptas et utilitas erit perfectior. Aliunde non peto, in quo versamur, exempla. Solae, inquam, aliorum contentiones in scientiis nos in hac re erudire possunt; cum satis superque pateat, nihil tam difficile, nec tam occultum, quod nostra mens, utpote fere divina, eo verum cognoscendi ardore, secum ac natura ipsa luctando, non pervenerit.

Enimvero quid in utiliore universae Sapientiae parte, nempe in rebus naturalibus contemplandis, quod sola novitatis cupiditate, usquequaque rimando, insano indulgendo labori, non est observatum atque compertum? Studium voluptatis plenum, certissimum homini subsidium; et, quantum nostrae menti suscipere fas est, ad clara et non uno genere formosa Omnipotentis artificia inspicienda proprium. Jure igi-

tur si tanto operi fastigium imponere non pauci sint properati. Ejus cultores, quod sane longa res esset omnes heic enumerare, non a rerum copia, non a peregrinationum molestiis, navigationum periculis, aliisque gravissimis aerumnis sunt conterriti, sed magis provocati; unde incauti, intectique per remotissimas terras latebrosa omnia perlustrando, odorando pervagarunt. *Avida*, A A., *est periculi virtus, nam quo tendat, non quid passura sit, cogitat* (*): ideo non sit mirum, si Sapientiae acquisitio iis esset patria carior; cum nihil unquam hisce curis ad delectum jucundius, ad utilitatem fructuosius, ad oblectationem gratius existimaverint. Et qui majori oestro perciti, non rerum naturalium contemplationi propriam incolumitatem postposuere? Plinius non procul a nostro Vaesevo est mortuus, densa caligine spiritu obstructo, cum hic ignivomus mons majore vi peragitatus in urbes, in agros, vicinia amoenissimae huius civitatis, effudisset incendium; sola tantae conflagrationis phaenomenon videndi ac inquirendi caussa. Marcgravius Gulielmi Pisonis socius, e laboribus invictus, ac naturae opes observandi laetissimus, relicta patria, ad novum Orbem se contulit; et perlustrata illa brasiliensi regione, petiit eodem consilio aestuantem Africam; ubi, cum aër suae valetudini infestior esset, parum commoratus, diem supremum carpsit. Hasselquistius itineris orientalis laboribus op-

(*) Senec. *De Provid.* Cap. IV.

pressus, tabe consumptus Smirnae obiit. Scheuchzerus crebrius Alpes excelsiores visendo sanguinis vomitu suffocatus fuit. Aldrovandus, Tournefortius per inhospitas ac longinquas terras peragrantes, etsi non semel, sed pluries a latronibus ad indusium expoliati, verumtamen rei herbariae tenacissimi, in ipsa non modo consenescere, verum etiam vita defungi decreverunt. Et pro insano hujuscemodi scientiae amore a barbaris trucidati non fuere Gmelinus, Donati, et naturalistae fere omnes a Danorum Rege in extraneas plagas missi? Nonne verum exclamandum: quam incomparabilis sit discendi vis quam divina! cum solum historia naturae per mortes et calamitates amasiorum suorum magna habuerit incrementa.

Et quot alii, quorum nomina nulla aetas delere poterit, recta studendi ratione abrepti, vires omnes et mentis et animi in variis scientiis non protenderunt? Quid dicam de tantis doctrinis ad medicam artem spectantibus, et praesertim de corporis humani contextu? Compendium et exemplar orbis pulcherrimum, in quo ostendere Opifex ille rerum unice voluit, quid posset valeretque in universis. Quanti rapti non fuere ad hoc studium, solidissimum Physiologiae ac Nosologiae fundamentum, post palmam, quam antiquis eripuit Galenus? Nam ab Alcmaeonis aevo ad Dioclis aetatem veluti mysterium silentio erat veneratum. O audax Japeti genus! Ut cum Sophocle loquar... τίς ἀλκὴ τὸν θανόντ' ἐπικτανεῖν ... *qualis fortitudo est in*

mortuum saevire (*)! Ii, A A., qui summo studio ac fervore se noscere flagrarunt, nunquam certe a librorum lectione, ab academicis disputationibus, ab ipsis tabulis Rhodiis perficere hanc scientiam potuerunt; sed tantummodo a longis assiduisque cadaverum dissectionibus, et diu ac firmiter in foetidissimis exhalationibus, et virulenti tabo corruptorum corporum permanendo. Quos in hac disciplina ego nominem primos, cum in omni aevo apud omnes gentes exculta esset? Egregiosne tantum, qui luculentissima haud dudum nobis praebuere? Uti Hewsonum, Monroum, utrumque Hunterum inter Anglos; Senacum, Ferreinium, Portalium, Lieutoudium, Sabatier, Cuvier apud Gallos; Albinum, Camperum penes Belgas; in Germanis Meckelium, Lobsteinium, Girtannerum, Zinnium; ex Helveticis Hallerum; et maxime apud nostros Italos, nullo certe minores, Morgagnum, Santorinum, Scarpa, Mascagnum. Jure etiam, ne incuriosius nostratium videar, dicam: quis ignorat, praeter alios non incelebres Viros, duos nostri Collegii flores? Quos semper grata mente nomino, Sementinum seniorem nempe et Cotunnium; retro ab hinc annis, non sine multo omnium moerore, et rei medicae detrimento, nobis jam fato ereptos.

Et de rebus physicis, mathematicis, astronomicis illustrandis et explicandis, quales quantique illustres viri aetatem et annos non consumpserunt? Haec magni

---

(*) Tragoed. *Antigone*, vers. 1042. Ed. Paul. Steph. an. 1603.

Kepleri, Galilaei, Halleyi, Newtoni, Copernici, Thyconis, Cassinii; haec incomparabilis Archimedis, Bernoulli, Euleri, Neperi, Dalembertii, area et arena. In hisce Gassendius, Gravesandius, Muschembroechius, Volta, Priestleyus desudarunt. Et fere nostro tempore, in hac scena palmam et adoream sunt promeriti cl. Wolffi, Bradley, Herschellii, Holbertii, Hardingii, Lalandii, Lagrangei, Platii, Caravellii, Fergulae, Poli. Viri pro insatiabili scientias parandi augendique cupiditate, valetudinem ac rem familiarem despicatui habuerunt. Eorum lucubrationes tanto ardore suscipiebant, ut noctes vel longissimas ad lucem pervigiles transigerent: nec unquam noctem fieri cupiebant taedio lucis, cum omne vitae fastidium solo studio ac literis effugerint. O disciplinam hisce hominibus dignam! O verum studendi amorem! Nam unice se rerum contemplationi dederunt, et sine hoc honesti exercitio vitam morte graviorem reputarunt. Nemini tamen mirandum : *occupatorum animi veluti sub jugo sunt, flectere se ac respicere non possunt* (*). In quo ingenua studia vigent ac fervent, nullus certe alius amor, nulla voluptas unquam exardescet. Si enim fores virtutibus pateant, necessario illae occlusae sint aliis rebus. Hoc sensu intelligi videtur, quod Poetae, ad idem nos exhortantes, de illo vate thebano nomine Tiresia finxerunt, qui oculis captus fuit, cum Palladem nudam, nempe pulchram scientiarum se-

(*) Senec. *De brevitate vitae*. Cap. X.

dem, vidisset. Hinc sane colligitur, qui jucunditatem Sapientiae delibavit, aut lumen ejus percepit, ad alia caecus lubens efficitur.

Longe excurreret Oratio mea, nec unquam exitum esset habitura, si enumerare vellem quicquid praeclari in aliis scientiis; ut in Jure, in Sacris, in Oeconomicis, in Historicis, in Antiquis, in Politicis, in aliis disciplinis ac ipsis humanioribus literis, vi industriae virtutisque amore, tot ingenia assequuta fuissent; quae consulto praetereo, ne, in re tam clara, vestra patientia et tempore abutar. Nam haud dubito, quin omnes vos mihi ad dicendum assentiatis. Quae cujusque generis doctrinae segetes! Qui viri tam eximia virtute praeclari! Quam nitore quaelibet scientia usquequaque refulget! Nisi ab intemperantia sciendi? Quot inventa ad scientiarum augmentum, ad artium perfectionem, ad mortalium vitae commodum, utilitatem, melioremque conditionem! Nisi ab effraenato abditos naturae thesauros perlustrandi ardore? Quicquid igitur boni invenimus, totum ad sciendi laudem referre oportet. Abeant hinc ac facessant, qui stulte aut temere audent dicere, quid de tot literariis laboribus, de tam aspera vita, summa diligentia, accensa cupiditate in scientias? Quos fructus, quaenam praemia relaturi sumus? Ah quanta illos caligo mentis, quanta veritatis ignorantia exercet! *Hi*, ut verbis primi Scriptoris romanae historiae utar, *dediti ventri atque somno, inculti indoctique vitam sicuti peregrinantium transeunt. Quibus profecto*,

contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit (*). Jure a Plinio brutis glande vescentibus comparantur, quae nec pastorem fructus excutientem, nec arbores a quibus proveniunt cernere valent. Et cum jam ad alteram meae orationis partem pervenerim, quaeso, A A., quae nos vitae commodis, incolumitati, scientificae voluptati conferunt, quibus hodie perfruimur, non sunt argumenta perscrutationum illorum, qui diversis disciplinis operam navarunt? Quid sine quodam studio et doctrina, rebus bene in vita gerendis, ad rem familiarem augendam, atque ad recte ipsam vitam informandam, proficere nos possimus? Omnis splendor ac dignitas non virtuti soli debetur? Non eadem fides dulcis placidique acerrima est? Nonne, quae est una omnibus certe major, *inter Deum et hominem amicitia est conciliante virtute*? Olim dictum fuit et quidem prudenter: *inscitiam* unicum malum esse, et unicum bonum *sapientiam*; cum nunquam, quamvis obscura lateat, sed sui certe mittat signa. Ejus nempe utilitatem etiam ex longinquo et abscondita, aut quocumque alio statu est semper fundit.

Quid jam restat, optimi Juvenes? Cogitationes vestras hactenus in longum disponitis? Adhuc vestra voluntas haeret? Qualis imperitia! Qualis mentis tarditas! Perditis hodiernum quod in manibus est, et expectatis, quae pendeant ex crastino. Intelligenti sa-

(*) C. Sallust. *Bellum Catilinarium.*

tis est notum; quod *maxima vitae jactura dilatio est:* dum enim illa ulteriora promittit, eripit praesentia. Ab ipso recessu radicitus hunc errorem evellite, et sumite modo vires, uti decet; ut si nova ad superanda obstacula acriori stimulo opus sit, non desunt duces, qui vos edocent per semitas suas ire ad virtutem. Sectemini nostros majores, clarissima literati orbis lumina et astra inexstincta, et non sine gloria digna virtute exempla reperietis: aut quidem illorum auctoritati inhaerete, qui hodie in honore, in officiis versantur; ut tanta aemulatione excitati, si idem sit vobis finis propositus, contemptis omnium voluptatum invitamentis, alacrioris spiritus impetu, insolitoque studio in Sapientiae sinum perveneritis: nam eadem via ii cl. Viri ad tantum eorum amplitudinis fastigium devenerunt. Erratis certe, si aliter judicatis. Nemo ad magna evasit, qui initio procul spem a se abjecit; et nihil tantam perniciem vobis affert, quam ista praesumpta diffidentia. Veniet ad vos, veniet ille felix dies, et non sine laude ac praemio, si primum per virtutis altum ascendere, et ejus dura et difficillia patienter vincere non expavescitis. Sic in hac re eloquentissimus noster Vicus (*). *Semper humi serpat, qui nihil conatur; et qui eminere non audet, semper sit in turba. Si enim homines sibi in animum induxissent, se non posse fieri me-*

(*) *Orat. ad stud. juvent., cujus argumentum.* Optima studendi ratio ab ipso studio petenda. *Habita Id. Novemb. an. 1774.*

liores iis, qui prima occupasse viderentur, ii quidem, qui optimi sunt et admirabiles, nunquam sane fuissent; aut cum alio dicam, *quid quisque posset, nisi tentando non didicit?*

Difficultates igitur, impedimenta ac incommoda, quae tanta constantia victa et superata sunt a scientiarum bonarumque artium cultoribus, nunquam profecto ad irritum ceciderunt; quin uberrimos et suavissimos honoris ac utilitatis fructus in quovis tempore edere solita fuere. Omnia cum aevo velociter labuntur, omnia sternet, abducitque secum vetustas; sola virtus neque dolo, neque fatis interrumpenda, ad omnem aetatem transitura, et semper manebit alta mente excelsae suae laudis monumentum. Forsan a vero recedam? Recordemini, quantas aestimationis significationes vel Sapientum memoriae posteri non ostenderunt? Mortuus Homerus septem amplissimae Greciae urbes inter se contendere, in quanam earum sua cunabula habuit. Inter Sellas Epiri et Chrysopolim Thessaliae de Statio seniore idem fuit jurgium. Florentia pro Dantis ossibus bellum gerere non detrectavit. Ab Aretinis ad immortalem Francisci Petrarcae memoriam lata fuit lex, ut sua domus proprio nomine insignita esset, ac in perpetuum servata. Et patriae gratificandi ac ipsis civibus in posterum, non ipsa illustrium Virorum recordatio quoque praevaluit? Themistoclis gratia Lampsacus, Hellesponti civitas, a belli injuriis moti per Regem Persiae, immunis fuit. Poëtae Pindari aedes ab Alexan-

dro Macedone in excidio Thebes ab omni damno fuit incolumis. Una Protogenis tabula Demetrii impetum compescuit, quam ne ureret, urbem Rhodii minime igni tradidit. Lisymaco, ne plura commemorem, pro sui parentis Aristidis virtute, ducenta jugera in Eubea, et suis innuptis sororibus dotem ab Atheniensibus concessa fuere.

Audistis, Adolescentes, audistis, cum jam unice ad vos huc vocatus sim; immortalem esse ingenii memoriam, et omne boni ex virtute principium; quam nec temporis edacitas deterere, nec obruere potest oblivio, sed vetustate ipsa viget magis atque efflorescit; unde Sapientum mors etiam eorum vita clarior est. Esto demum vestro pectore alte infixum, quod Cicero de virtute scribit. *Omnia alia falsa, incerta sunt, 'caduca, mobilia, virtus est una altissimis defixa radicibus, quae nunquam ulla vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco.*

Cum igitur ex sola virtutis praestantia tot commoda, ac tantae sincerae voluptates oriantur, quis illas degustare nolit? Quis sapiens pater non filios scientificas disciplinas erudire velit? Quis utilitatis ac laudis cupidus non hanc viam ingrediatur, et tot viribus contentoque cursu eam sectetur? Eximia merita, o Juvenes, in non inglorio otio vobis proponuntur, si per plures annos in hac Palladis arena pro palma et praemiis, tanquam boni Athletae, alacriter decertatis; quae non modo felicissimae vitae transigendae primo inserviunt, verum etiam summum bonum, men-

tis nempe, animique plures voluptates progignunt. Caeterae enim, quae vulgo aestimantur, plusque aegritudinis ac fastidii, quam laetitiae secum ferunt. Imitemini in eo Herculem, qui terrarum orbe monstris repugnato, a laboribus abstinuit, et quietem amplexus; vel stoicum illum Catonem, qui post graves exantlatos labores, jucundo se otio oblectabat. Sit itaque in vobis illud graecae Sapientiae monitum. Ἄχρις ἂν στίλβῃ ἠὼς, ϑρόνα μείρακες ὀτρυνόμενοι λέγετε, idest: *Cum aurora fulget, moniti adolescentes flores colligite.* Spatiis valde angustis vita nostra decurrit, et vos in vestra tam gravi re adhuc lenti ac diffusi? Quid spectatis? Cur vos extenditis? *Cum celeritate temporis*, nos monet laudatus Seneca, *utendi velocitate certandum est; veluti ex torrente rapido, nec semper casuro, cito est hauriendum* (*). Forsan vires desunt, ingenia torpent, an aliud hoc mali est, quod a scientiis vos avertat, et haec castra deserere facit? Haec, o Juvenes, eorum sunt patrocinia, qui dediti corporis gaudiis per luxum atque ignaviam aetatem agunt, et cum magnitudine mendacii fidem quaerunt. Excutite ex animo vestro illud turpe ac ignobile otium, aut eam voluptatem, quae majoribus vos implicat malis. Fugate hanc pestem a teneris, et quod Graeci ajunt, εν προῖτων ὀνυχων, si illibatum a vitiis pectus velitis: ut cognoscatis quid illa particula aurae divinae in homine

(*) *De brevitate vitae*. Cap. IX.

possit, et quam potens efficiendi ea, quae velit: *cum non oporteat,* sunt verba Sallustii (*), *nos vitam silentio transire veluti pecora, sed studebimus memoriam nostri, quam maxime longam efficere:* etenim si juxta Diogenem loqui libeat, *vitam sine literis mortem esse.*

Ne itaque, mei cives Adolescentes, tam gravem injuriam vestris mentibus, utpote caelestis originis, atque ipsi floridae juventae afferatis, dum verni sunt dies vestri, dum corporis animique robur adhuc viget, ad meliora cito eundum est: cum difficile sit, *quin prima quaeque optima dies fugiat mortalibus miseris* (**). Manum itaque ad tabulam semper habete, et antecessoribus praemonstrata vestigia fortiter et animose premite. Nihil certe est delectabilius iis, qui in hac Musarum sede struunt scientiarum fundamenta, quam eorum labores, una cum tot puris doctrinis, raris exemplis, novis inventis, selectis animadversionibus, vobis consecrare: ne, sua incuria et segnitie, aurea vestra messis adhuc in herba suffocetur et pessundetur. Praesertim in tanta soeculi luce, cum non amplius in tot salebris et ambagibus conflictemur; et in hac rara temporum felicitate, in qua providentissimus noster Rex, sane virtutum aestimator, maximam de vobis curam suscipit; ut animi studia sequamini, quae vobis parient

(*) *Bellum Catilinarium.*

(**) Virg. *Georg.* Lib. III.

honores et commoda. Et quo, quam hoc loco, exultare mea posset oratio, si ad dicendum esset tempus? Quae praeclara cuique ultro et affluenter se non offerunt? Ubivis occursant vobis tot Musarum mansiones; tot Sapientum coetus; tot illustres Viri in publico et in cathedra agentes; tot bibliothecae, sua quaeque divite librorum suppellectile ornatae: tot cimelia, in quibus rerum copia cum raritate certare videtur; et uno intuitu naturae lusus et prodigia conspiciuntur. Quocumque oculos circumfertis ad sciendum illustria observatis; et Sapientiam dignitatibus, titulis, honoribus, monumentis circumfusam admiremini, in quibus nihil aliud, nisi vestrum studium requiratur. Etiam quia, in hoc assiduae vernantis naturae recessu atque gremio ipsum Heliconem habetis; qui certe non vos solum ad idem magis allicit atque invitat, sed etiam Docentium dexteritatem adauget ac incendit. O quantas nostri Vates et Philosophi in eadem hujus Minervii umbra dignas eorum divinae mentis ideas conceperunt!

..... *Quae nec ventura silebunt*
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.

Gratiae igitur Augustissimo Regi nostro, sospitatori patriae et praesidio literarum, sunt habendae de tanta munificentia ad nos erudiendum profusius suppeditata; et illucescit animis nostris quotidie preclara benignitatis suae gloria, quam sane omnes *penna nun-*

quam metuente solvi ad posteros transcribunt. Annuit e coelo Deus solemnibus omnium votis, ut hoc novum fulgentissimum Sidus diu, continue ac feliciter super nos renideat atque splendescat; et in perenni flore, dignitate, gloria, opibus clarum semper hoc regnum habeatur.

..... Procul atra recedat
Invidia, atque alio liventia lumina flectat.

Et vos, ampl. Domini, excellenti virtute doctrinaque ornati, qui in hoc ingeniorum proventu praecipui honoris illustrem locum et nomen tenetis, cum vestra cura et labore in hoc famae fastigium jam nostrum Athenaeum sit evectum, vos oro atque obtestor, ne vestras manus auxiliares e re literaria unquam temperare velitis, ut semper benigniore astro et omine in melius se extollat, et non ad sui ruinam ac interitum devergat. Scio, vos arduis publicae rei negotiis intentos, industrias cogitationesque supra humiles musas attollere: at quidem delectare possunt illae per otium, quum datis remissionem animis, ut meliores acrioresque requieti surgant: nam doctrinae nostrae reviviscunt, tanquam opes naturae a Sole, dum summorum Magistratuum praecipua dignantur cura et favore.

Eja, ornatissimi Juvenes, strenue in hoc Palladio pulvere ad palmam decurrite. Hic vere Olympicus ille ludus, ubi plenis ingenii quadrigis ad gloriam vir-

tutis via grassatur: in studiis, inquam, bonisque artibus immergite altius, non aliter quam in pugnam aciemque immissi; et, quam ingressi estis doctrinae viam, eam conficite: ita in seras nepotum aetates vestra quoque nomina superstita erunt. Proponite igitur semper animo illam, supra quam fingi potest, discendi aviditatem philosophi Cleanthis, qui noctem hauriendis aquis impendebat, ut praetium suis praeceptoribus pro disciplina diurna persolveret. Ad alia nec animum nec ansam, praeter literarum virtutisque studium habete. In eo versemini graviter, progrediamini feliciter; ne vos aut otii voluptatisque dulcedo, aut laboris curarumque taedium ab illo amovere sinant. Hisce vitiis quadratum semper agmen opponite, ut sit magis vestra mente repositum: *quod nihil unquam discere poterit, qui discendi studiosus non erit.* Dixi.

NEAPOLI.

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI [illegible].

1833.